

explicant, *Minerarios* vocat Lelandus, & ad sen-  
sum recte opinor, cum *Muneduppe* in antiquis  
schidis dicantur; plumbi enim fodinis admo-  
dum opulenti, & pascendis pecoribus apti. In  
his antrum est longo recessu, in quo putei quid-  
dam, & rivuli cernuntur, *Ochiehole* dicunt, de  
quo non minora somnia fingunt accolæ, quam  
de suo Sibyllæ antro in Apennino comminiscun-  
tur Itali. Nomen proculdubio inditum ab *Ogo*  
Britannica dictione, quæ antrum sonat, uti  
etiam à simili antro, simili vocabulo Eubæa In-  
sula olim *OCHA* dicta fuerit. Non procul ab  
hoc, regnante Henrico VIII, aratro eruta fuit  
oblonga plumbi lamina in trophæum olim ere-  
cta, & sic inscripta,

TI. CLAUDIVS CÆSAR AVG. P. M.  
TRIB. P. VIII IMP. XVI. DE BRITAN.

Incidit hæc Claudii Tribunitia potestas ix in  
annum Urbis conditæ DCCCII, Antistio, &  
M. Suillio Coss. quo tempore P. Ostorium Bri-  
tanniæ Proprætorem turbidæ res exceperunt.  
Ex hoc tempore liceat mihi quæso, bona cum  
venia ariolari. Hoc anno duo de Britannis Tro-  
phæa Claudium statuisse nummus ipsius Claudii  
antiquus, rei certissimus testis demonstrat, in cu-  
jus priore parte hæc concepta inscriptio, TI.  
CLAUD. CÆSAR AVG. P. M. TR.  
P. VIII. IMP. XVI. PP. in parte vero  
altera, DE BRITAN. ibique expressus arcus  
triumphalis, cum equestri figura decurren-  
te, & duobus trophæis. Qui vero fuerint hi Bri-  
tanni devicti, Tacitus docet: Claudium enim  
Ostorii auspiciis duas Britannicas gentes hoc an-  
no devicisse testatur, ICENOS scilicet & CAN-  
GOS. Sed cum Icenis alio quasi sub sole jacent,  
quid si de Cangis minori inter Belgas nostras  
popello constitutum hoc fuisse Trophæum, &  
CANGOS illos hic confedisse dixerò? Non pro-  
cul enim hinc est mare, quod Hiberniam aspe-  
ctat, quo situ ille Cangos locat, & Cangorum no-  
minis umbra in nonnullis hoc tractu locis super-  
esse videtur, in *Cannington* nimirum, & *Canings* re-  
giunculis, sive Centuriis, in *Wincaumon*, quod *Cang-  
ton* alibi dicitur, & *Kaingsbam*, quasi Cangorum  
*mansio*. Sed de his penes lectorem iudicium, ego  
tantum, ut dixi, ariolor, dum Cangos vestigiis  
inquiri, & alibi me reperiturum confido.

Inter hos colles *Chuton* est, quæ (nisi me fallo)  
habitatio fuit Guilielmi *Bonvill*, quem ad Comi-  
tia Parlamentaria Henricus Sextus nomine *Gui-  
lielmi de Bonvill & Chuton*, inter Regni Barones evo-  
cavit, Equestris Georgiani honore ornavit, fili-  
umque nuptiis unicæ filiolæ Baronis *Harrington*  
locupletavit. Sed cum ille male gratus ardente  
civilis bello, in Eboracensis familiæ castra transis-  
set, (quasi ultrice furia persequente) filium illum  
unicum præmatura morte præreptum, & è filio  
nepotem Baronem *Harrington* in prælio ad *Wake-  
field* peremptum vidit; statimque ne quid ad mi-  
seriam senectutem deesset, dum meliora anxie  
expectaret, in secundo ad S. Albanum prælio cap-  
tus, & ætate jam prope decursa, securi percuf-  
sus, relicta Cecilia pronepiti & hærede tenella  
ætate, quæ postea Thomæ Greio Marchioni  
Dorfertiæ cum opima hæreditate in uxorem  
data. Memoria tamen ejus quasi innocenti post  
mortem Parlamentaria autoritate restituta.

Sub collibus *Mendipp*, ad Septentriones est  
*Congersburie* viculus, à Congaro quodam viro sin-  
gularis sanctitatis sic dictus, (Constantinopolita-  
ni Imp. filium fuisse prodidit Capgravius) qui  
heremiticam vitam ibi duxit, & *Harpetre* olim  
castrum ejusdem cognominis familiæ vetustæ,  
quod hæreditariò ad *Gornaios*, & ab illis ad *Ab-  
Adamos* descendit, qui (ut legi) Gornaiis restitu-  
erunt. Ad Austrum vero non procul ab illo an-  
tro, urbecula Episcopalis solo saxeo ad *Mendipp*  
montis radices subjicitur, olim ut habet, sed un-  
de nescio, Lelandus, *Theodorodunum*, nunc *VVelles*,  
ita dicta à fontibus qui passim in ipsa scaturiunt,  
uti etiam *Susa* Persiæ, *Croia* Dalmatiæ, & *Pegase*  
Macedoniæ à fontibus nomina traxerunt: unde  
& *Fontanensis Ecclesia* hæc vocatur. Primas in hac  
Provincia sibi suo jure vendicat tum incolarum  
frequentia, tum ædificiorum magnificentia.  
Templum habet & Collegium ab Ina Rege in  
Andrææ honorem conditum, & à viris principi-  
bus opimis proventibus statim ditatum: inter  
quos *Kinewulphus* Rex loca quam plurima ad-  
jacentia anno Domini 766 concessit; legimus  
enim in ejus Charta, *Ego Kinewulphus Occidentali-  
um Saxonum Rex, aliquam terre partem pro amore Dei,  
nec non (quod verbo delendum est) pro aliqua vexatione  
inimicorum nostrorum Cornubiorum gentis, cum consensu  
Episcoporum, & Satraparum meorum, Dei Apostolo atque  
ministro ejus Andrææ humiliter ascribendo donabo, hoc est  
Manentium XI prope flu. qui dicitur VVelve, ad augmen-  
tum Monasterii quod situm est juxta fontem magnum,  
quem vocitant VVielea.* Hanc apposui tum propter  
antiquitatem, tum quod ex hoc fluvio aliqui lo-  
cum nomen adsumpsisse existimarunt. Ipsum sa-  
ne Templum est admodum speciosum, sed ejus  
frontispicio ad occasum nihil speciosius, totum  
enim statuis antiquo & exquisito artificio è saxo  
cælatis surgit.

Splendidum admodum Episcopi palatium, in-  
star castri mœnibus & fossa munitum ad austrum  
adjacet, & ex altera parte nitidæ Præbendario-  
rum ædes. Præbendæ enim xxvii cum Præ-  
bendiolis xix præter Decanum, Præcentorem,  
Cancellarium, & tres Archidiaconos, ad hanc  
spectant Ecclesiam. Edwardi Senioris tempore  
Episcopalis hic sedes constituta. Cum enim Ro-  
manus Pontifex Edwardum illum sacris interdixisset,  
quod Politia Ecclesiastica in occidua hac  
regni plaga aperte nutaret, ille qui se Ecclesiæ  
nutritium esse novit, tres novos erexit Episcopa-  
tus, Cridiensem scilicet, Cornubiensem, & hunc  
Wellensem, cui Eadulphum primum præfecit  
Episcopum. Non multis post annis Giso huic se-  
di præfuit, quem Haraldus West-saxonum, &  
Cantii Comes Ecclesiæ opibus inhians ita exa-  
gitavit, ut parum abfuerit, quin hanc dignita-  
tem sustulerit. Verum Guilielmus Primus, de-  
victo Haraldo, Gisoni exulanti, & Ecclesiæ ja-  
centi dextram porrexit, quo tempore, ut testa-  
tur Censualis Angliæ liber, Episcopus ipsum oppi-  
dum tenuit, quod pro quinquaginta Hidis geldavit. Re-  
gnante deinde Henrico Primo, Ioannes de *Villula*  
Gallus Turonensis, cum Episcopus jam electus  
esset, sedem Bathoniam transtulit, quæ duæ se-  
des in unum coalescentes, suo utraque titulo  
Episcopum ornat, ut unus idemque Episcopus  
Bathonienfis, Wellensisque dicatur. Unde Mo-  
nachi

Ochy hole.

Strabo.

Cangis Bri-  
tanniæ  
populi.

Chuton.  
Bonvill  
Baro.

r. Edw. 4.

Harpetre.

Welles.  
Stephanus  
in urb. &  
Barletius.

905.  
Historia  
Bathon.